IACOBI SADOLETI EPISCOPI CARPENTORACTIS IN PAVLI EPISTOLAM ad Romanos commentariorum

LIBRI TRES.

AD FRANCISCVM GALLIÆ REGEM Chriſtianiſſimum Iacobi Sadoleti Epiſcopi Carpentoractis dedicatoria commentariorum in Paulum Epiſtola.

QVOD virorum bonorum ſemper eſſe duxi, eorumq́ue qui Dei veri colentes & Chriſtianæ religionis ſtudioſi eſſent, vt cum eam ipſam religionem noſtra hac ætate nouis quotidie ſeditionibus agitatam, & multitudine oppugnantium vehementer laborantem cernerent, pro ſua parte quiſque ad ferendam opem concurrerent: Idem ego quoque Rex omnium maxime ac Chriſtianiſſime Franciſce pro mea facultate iamdudum facere meditatus, ſæpe ea de cogitatione variis rationibus depulſus ſum. Nam nunc me ingenii mei paruitas, interdum tanta iſta temporum perturbatio dehortata eſt: nonnunquam etiam ille metus, illaq́ue ſuſpicio animum meum retardauit, quod intelligebam, id quod videram iam accidiſſe permultis, quodcunque ego ſcripſiſſem, quãuis id pie ac religioſe ſcriptum eſſet, nõ eos ſolum, qui palàm ſunt aduerſarii, nam hi quidem minus pertimeſcendi ſunt, ſed ſocios etiam mecum eiuſdem & voluntatis & ſententiæ maleuolos aliquos interpretes meis ſcriptis non deſuturos, quo non leuiter vitio noſtra ætas infecta eſt.